

Viro absolutissimo D. Ioachimo Vadiano, medico et poetæ  
laureato, amicissimo suo. Apud *Sanctum Gallum*.

a) „amicicia“. — b) „desyderavi“. — c) „Fœlici“.

<sup>1)</sup> Vrgl. I, Brief 105. — Da die „Poetica“ des Vadian, sowie das Encomium Matrimonii et Medicinæ des Erasmus im Sommer 1518 erschienen sind, ist das unvollständige Datum dieses Briefes mit Sicherheit durch diese Jahrzahl zu ergänzen.

XI 290.

40.

### Johann Jakob a Liliis<sup>1)</sup> an Vadian.

Paris. (1518.) October 26.

Freude über Vadians Heimkehr. Entschuldigung lässiger Correspondenz. Ankunft der Tochter des englischen Königs als Verlobte des Dauphin in Paris. Bedauern über die Nachricht von Vadians Rückkehr nach Wien. Dank für die Scholien zu Mela. Entschuldigung, dass er dem Vadian einen versprochenen Schweizerdegen noch nicht geschickt hat.

Binis nuper literis eodem tempore, optime ac iucundissime præceptor, coniunctissimorum tuorum Hulderici<sup>a)</sup> Zvinglii atque Ioannis Xilotecti de reditu tuo in patriam, ubi te pro rerum ac temporum opportunitate<sup>b)</sup> sedem ac domitionem capturum, certior factus, quod tibi felix<sup>c)</sup> faustumque esse etiam atque etiam precor, patriæ utique decori ac laudi, mihi magno gaudio et iam pridem desideratum atque adeo a diis immortalibus voto expetitum, quo paratus præsens præsentis<sup>d)</sup> tua humilitate frui daretur; quod facillime, si, quo gratius nihil accideret mihi, ratio iniri posset, ut id modo e re tua quoque esset, ut ad nos Lucernam commigrares, ubi tibi (ut par est) omni opera, studio et labore pro maximis in me meritis et beneficiis<sup>e)</sup> pro virili mea satisfaciām<sup>e)</sup>; idemque et patrem meum et Xilotectum, qui omnia tua causa<sup>f)</sup> volunt, reliquosque, qui olim tibi discipuli fuerunt et qui alioqui fama ac splendore nominis tui tibi conciliati, facturos non dubito. Ceterum<sup>g)</sup>: quod minus frequenter, ex quo Vienna profectus sum, ad te literas dederim, licet semel vel iterum sic<sup>h)</sup> quoque dederim, non oscitantiae aut intermissioni amoris meæ et observantiae in te, quæ semper suo officio<sup>e)</sup> functa, sed subrustico potius pudori et verecundiæ, attamen iusto, nisi mea imbecillitas, ex quo sub te Viennæ literis operam navavi, tibi cognita familiariterque nota foret, qui me sæpius conantem scribere exterruit, acceptum referas sciasque, etiamnum vix animum cepisse<sup>e)</sup> pudoremque et metum terga vertere coegisse, potiorem respectum debiti et officii<sup>e)</sup> erga te. — Novi quid ad te scriberem; sed nihil est hoc temporis, quod adeo te percipere seu me

scribere referat, nisi quod filio primigenito, Delphinum quem vocant, stabiliendæ pacis et concordiae gratia filia Anglorum regis, magnificentissima ob id legatione missa, in matrimonium despontata advenit ad 13<sup>m</sup> Kalendas Novembri Parisios. — Grebellius Tigurinus tuus meque de omni statu et condicione<sup>e)</sup> tua certiore fecit dixitque te Viennam repetisse, quod non usquequoque læto<sup>k)</sup> animo accipio, timens atque suspiciens, ne te pristina inter literatos atque scolasticos conversatio et consuetudo rudi ac ignavo populo magis delectet atque allicit; quo te tuam prudentiam tamen consulere vellem, ne studiosissimorum et observantissimorum tui spem atque expectationem frustreris nomenque misopatridis subeas. Attulit idem Gerbellius (!) scholia in Melam tuam, quæ festo, plausu atque solistimo quodam tripudio eo quidem iucundius atque optatius, quo magis desiderata, accepimus; nam pridem rumor increbruit, te nonnullorum virulentiam atque cæcas adulaciones compresurum et profligaturum. Perstes modo easque, quo cœpisti, pede; nam quem alium patriæ vindicem tot tantisque fluctibus opponamus, video neminem. Hoc polliceri habeo: quanto maiori labore et periculo hanc victoram constatarum, tanto maiori cum laude et gloria te omnium spem expectationemque explere immortalitatique tuæ providere et consulere. — Habebam in animo aliquo xeniolo amorem et observantiam in te meam testificandam, licet non dubitem alioqui quoque satis testatam. Et quia olim Vienna proficiscens gladiolum Helveticum dono missurum me pollicitum esse memoria tenui, operæ pretium duxi, et quia domi patrum non misi, — quod non factum hactenus, eo quod neminem, qui id ad te ferret<sup>l)</sup>, aliisque de causis, quas coram quandoque ex me (Diis approbantibus) percipies facile —, mihi ratio constat, Gallicum seu Hispanicum deauratum, ut iam usus illustrioribus ferendi irroboratione, ad te mittendum; quod, cum nuntius ille Tigurinus, qui Grebell(ium) adduxit, se comode ferre non posse et quod te quoque imminentem hiemem<sup>l)</sup> peregre consumpturum certius eram, distuli ad Kalendas Ianuarias, proprium et nihil aliud agentem tabellarium habiturus. At vererer, ne Minervæ suem, ut tibi homini facile literatissimo gladium offero, nisi promisso standum esse ducerem, quod<sup>m)</sup>, si quid literarum munieris darem, noctuas Athenas ferrem. Et si forte nec hoc dignitati tuæ competit, tamen munerum animum introspiciendum. Reliquum, ut mihi quicquam, nisi si quid meo opera et labore opus habueris, rescribere petam, tantum abest, ut abunde bene actum

mecum existimem, si animum ad hasce meas nugas — iusto forte prolixiores — perstringendas tanta temporis iactura demittas; nisi, ut supra, quid tibi prodesse aut commodare possem, quo velim, tibi persuadeas etiam, me amori observantiaeque meae in te consulere, qui omneis rerum atque temporum occasiones te demerendi atque sui probandi gratiamque quoquomodo referendi capturus est. Reliquum omnibus discipulis tuis, meis commilitonibus, salutem meis verbis dicas, præcipue Rodolpho Agricola<sup>i)</sup> meo, si quo gentium eum convenies, vel per literas commendes, adeo ut quam maxime rogo oroque. Vale perpetuo felix<sup>c)</sup> meque, quo nec tui amantior nec observantior quisquam est, ama. Raptim ob festinatam nuncii abitionem. Parisiis, 7<sup>o</sup> Kalendas Octobrias<sup>2)</sup> (!).

Tuus ab animo *Iohannes Jacobus a Liliis*, Lucernus.

Boni consules non literas, ut par esset, sed literam<sup>n)</sup>. At ita necessitas, cui ne Dii adversari et repugnare possunt, tulit, maluique rudeis et impolitas literas, quam negligentiae atque ingratitudinis suspicionem<sup>c)</sup> præstare<sup>i)</sup>, cum hoc mihi, illud fortunæ imputandum erit.

Clarissimo ac sæculi nostri decori poetæ ac oratori Ioachimo  
Vadiano, præceptorи suo. Gen Sant Gallo n).

a) „Hulderi“. — b) „opportunitato“. — c) „œ“ für „e“. — d) „presents presentis“. Entweder ist das erste „presents“ für „presenti“ verschrieben oder ganz zu streichen. — e) „t“ für „c“. — f) „caussa“. — g) „Cæterum“ — h) „sio“. — i) „e“ für „æ“. — k) „habebam“ oder ein ähnliches Verbum minutum einzusetzen. — l) „hyemem“. — m) „quod“ scheint aus „at“ berichtigt. — n) „litarum“. — o) Von anderer Hand.

1) Vrgl. Register I. — Von *Johann Jakob a* (oder „de“) *Liliis* — Zurgilgen — aus Luzern sind zwei aus Paris geschriebene Briefe vorhanden. — 2) Da *Konrad Grebel* erst im October 1518 (vrgl. Brief 135 und 136) in Paris eintraf und im Texte von der Ankunft der englischen Prinzessin am 20. October in Paris die Rede ist, muss im Datum notwendig „Octobris“ für „Novembris“ verschrieben sein.